

**Generis asparagi historia naturalis atque medica. Dissertatio inauguralis  
botanico-medica / auctor Mauritius Bresler.**

**Contributors**

Bresler, Moritz, 1802-1851.

**Publication/Creation**

Berolini : F. Nietackii, [1826?]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/syyep8zs>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



15304/p

**15**  
GENERIS ASPARAGI  
HISTORIA NATURALIS ATQUE MEDICA.

~~~~~  
**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS BOTANICO - MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS  
IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR,  
DIE XX. FEBRUARII A. **MDCCXXVI**  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**MAURITIUS BRESLER,**

SILESIUS.

~~~~~

OPPONENTIBUS:

**I. BRANDT, MED. ET CHIR. DR.**  
**H. KALCKSTEIN, MED. CAND.**  
**H. ERNST, IUR. CAND.**

---

BEROLINI,  
TYPIS FERDINANDI NIETACKII.

[1826]

ГЕНРИХ АСПАРГА  
СОЛДАТСКАЯ КНИГА  
304881



MAGISTRATIBUS  
VRATISLAVIENSIMUM

GENEROSSISSIMIS, NOBILISSIMIS,  
ILLUSTRISSIMIS,

STUDIORUM SUORUM ACADEMICORUM

ADJUTORIBUS BENEVOLENTISSIMIS,

NEC

МАГІСТАРИ  
УЯВЛЕНІЯ

НЕСНОНОСІ  
УЛІСІ

ІДІОМІК АКАДЕМІЧНИЙ

ІМІГРАЦІОННА СПІЛОУДА

НЕС

VIRO CLARISSIMO, AMPLISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO

A. G. E. T. HENSCHEL,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITTERARIA VIADRINA PROF. PUBL. EXTRAORD. SOCIET. REG. BOT. RATISB. NATUR. CURIOS. HALENS. ET SILES. PATR. CULTR. SODALI, VRATISLAVIENSUM MEDICO FELICISSIMO,

PRAECEPTORI FAUTORIQUE,

SUMMOPERE COLENDO

A T Q U E

VIRO PRAENOBISSIMO, ERUDITISSIMO

GUILELMO KOTHE,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, EQUITUM LEGIONIS MEDICQ PRIMO, APUD BEROLINENSES ARTEM MEDICAM FELICISSIME EXERCENTI

HOSPITII MUNERUM BENEFICIORUMQUE

GRATISSIME MEMOR

OMNISQ. ANTIQUITATIS  
EXPOSITIO.

HASCE

THEATRUM

**STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS**

PIO GRATIOQUE ANIMO

D. D. D.

**AUCTOR.**

---

## LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

A U C T O R.

---

**O**mnia fere plantarum monocotyledones, li-  
liis praesertim affines, in genera atque ordines  
suos difficillime rediguntur, et propter summam  
singularum inter se similitudinem et propter ma-  
jorem omnium ipsarum partium simplicitatem  
notas ideo minus crebras variasque praebentium.  
**U**nde fit, ut de harum plantarum familiis natu-  
ralibus botanici vel peritissimi maxime inter se  
dissentiant. In illis igitur cognoscendis et divi-  
dendis vix eadem, quae in aliis classibus, pro-  
bari poterunt normae ac praecepta, et notae ad

ordines generaque constituenda alias vix adhibitaे hisce in plantis summi erunt momenti. Quare quo diligentius singulae earum species fuerint indagatae et quo plures ejusdem generis socii innotuerint, eo perfectior ordinum evadet cognitio. Quae identidem mecum reputantem studio huic aliquando quantumcunque incumbendi audax fateor-at juvenili forsan levitate excusanda me incessit libido. Quid valerent humeri, quid ferre recusarent, ut experirer, dissertationis inauguralis conscribendae venia me impulit a gratiose me dicorum ordine rite impetrata. Sed ne Deliis antiquis dudum decantata scriptis inventisque recentissimis haud plane imbutus denuo recinerem, Illustr. Link, rei herbariae arbitrum nimirum incorruptissimum, praceptorum meum summopere colendum, consului. Haud improbavit vir egregius consilium captum; quod quo facilius efficerem, gratiam mihi conciliavit Nobiliss. Dr. de Schlechtendal, herbariis regiis praefecti, quibus bibliothecaque botanica adjecta liberrime uti hujus viri non minus humani quam eruditii

liberalitate comitateque eximia concessum est. Ex immensa autem plantarum ibi accumulatarum copia Asparagorum genus ideo elegi adumbrandum, quod dissertationis spatio satis commode coerceri, haud parum relinquere extricandum, novas nonnullas praebere species easque ad totius generis naturam cognoscendam multum valentes, nec non medicis, quae memoratu sat digna sunt, offerre videbatur. In ipso labore summa integritate usus sum; plantas, quaecunque mihi diversae oblatae sunt in herbariis, seorsum descripti et postea demum cum auctorum contuli sententiis, specierum numerum ne augerem, sed minuerem potius, ubique enis, id quod haud uno loco mihi contingit. Attamen quas ex indagine diligentissima a cognitis plane abhorrentes inveni formas, has quin pro novis haberem speciebus, non potui. Descriptiones ceterum diagnosesque, novis accedentibus civibus, omnes denuo composui, casu vero non ablativo, sed, suadente Ill. Link (<sup>1</sup>), perspicuitatis gratia nomininativo ap-

---

1) Elem. philos. botan. Berol. 1824. p. 441.

posui. Nam ut Pyrrho olim Epirotae Delphium consulenti Pythia (2) cecinit: haud aliter de plantis canitur, si v. g. calycibus petalis majoribus exornantur.

Quantum per vires tenues licuit, rem diligenter gessisse mihi videor. Quae tamen in auctorum sententiis comparandis minus docte prolatas, in specierum generumque cognatorum differentia totiusque gregis affinitate perscrutanda minus sagaciter eruta, in ipsis denique descriptionibus minus dextere atque expedite fuerint concinnata; haec, Lector Benevole, imperitiae juvenili temporisque angustiis velis condonare. Fretus enim indulgentia Tua haecce in lucem prodere non dubitavi. Vale faveque libello.

2) Ajo, te, Aeacida, Romanos vincere posse.

§. 1,

De Asparagorum genere iam apud veteres passim proditum est, idque satis copiose. Ipse Theophrastus Eresius, botanicorum princeps, haud uno loco Asparagum commemorat, eoque praesertim memoratu dignus ei videtur, quod cum nonnullis aliis plantis folia fere nulla procreet, sed ex toto sit spina (¹). Species Asparagi in Europa australi Africaque boreali indigenas (²) Grajo ante oculos esse versatas, vix quisquam dubitabit. Dioscorides (³) iam duo distinguit Asparagi genera, quorum alterum Corrudam vocat, neque vero accuratius describit, alteri autem, altili, folia esse refert Foeniculinis simillima longa numerosa, radicem grandem spongia praeditam. Hunc Asparagum sativum esse censuerim. Diligentissime verbisque copiosissimis Asparagi culturam agricolis praecepit Cato (⁴), quem verbo tenus fere Plinius Secundus

1) hist. plant. ed. Schneid. I. VI. cap. 1.

2) Asp. aphyllum, A. horridum, A. acutifol. etc.

3) de mat. med. l. II, cap. 118.

4) de re rust. c. 161.

reddit (⁹). Galenus (⁹), quamvis a Graecis omnes fere caulinuli tenues ad fructus seminisque productionem augescentes Asparagi salutentur, genus tamen quoddam plantarum prae ceteris ita nominari docet. Post litteras restauratas et Corruda Theophrasti et Asparagus altilis Dioscoridis amplificatae sunt. Clusius enim immortalis Asparagum maritimum, phyllacanthum, acutifolium, album etsi iam antea cognitos primus tamen diligentius descriptsit et depinxit, Burmannus falcatum, Herrmannus A. sarmentosum, Plukenetius capensem, retrofractum et asiaticum, Tournefortius verticillarem et horridum, Lamarkius stipulaceum, africanum, crispum, tenuifolium, Forskälius stipularem, Willdenovius racemosum, Iacquinius decumbentem, Thunbergius dependentem, subulatum, flexuosum, lanceum et scandentem, Fischerus dauricum, Candollius tricarinatum, Bruno fasciculatum, Donius filicinum; quibus hae pagellae umbellatum umbellulatum grandiflorum teragonumque adjicient.

### §. 2.

Jam rem ipsam aggressurus in hocce paragrapho generis naturam in universum exponere, tertio genera nostro affinia comparare, quarto historiam generis geographicam brevibus exarare, quinto de viribus Asparagi medicis disserere, sexto denique species singulas distinguere et describere constitui.

Est vero Asparagis radix annua, biennis nec

---

5) hist. nat. ed. Hard. I. 19. c. 8.

6) de aliment. facult. I. II. c. 58.

non perennis, fasciculato - ramosa. Radiculae <sup>7)</sup> plerumque perpendiculares, pennae corvinae sed pollicis etiam crassitie, longitudine diversa; quinque enim vel sex pollices haud raro aequant, nonnunquam autem crassities longitudine vix superatur; unde fit, ut tuberum ovalium induant formam. Emittuntur e radiculis fibrillae tenues, flexuosae plerumque atque ramosae.

Ex ipsius radicis basi, qua in unum radiculae colliguntur, plures proficiscuntur caulinuli aut annui aut perennes, nudi primordio, squamis alternis tecti, in apicem squamatam finiti, edules. Re vera gemmae hae sunt radicales, aggregatae, elongatae (blastemata), eodem anno evolvendae (aestivacula) atque plures gemmulas parturae. Gemmulae autem istae et in innovatione et in axillatione ovales sunt, squamis infra imbricatis supra subvaginatis membranaceis stipularum munere postea functuris, folia apposita, erecta, nullo modo plicata, florum rudimenta, nulla vero ramenta nec pubes intra se continentibus, glaberrimis vestitae <sup>8)</sup> (gemmae tectae stipulaceae completæ vaginato-squamatae folio-floriferae). Ramificatione evoluta caules plerumque aggregati in conspectu sunt herbacei aut lignosi, glabri, laeves, ramosi, inermes armative, quae arma aculei nec spinae sunt alares axillaresque, recti plerumque, reflexi, solitarii nec non aggregati. Folia cauli, frequentiora tamen ramis

---

7) Haud consentientibus inter se auctoribus de notione radicularum, Ill. Link (phil. bot. elem. p. 112), recentissimum philosophiae botanicae auctorem secutus sum.

8) Gemmas A. decumbentis solummodo indagare licuit  
Hujus autem ramificationem cum pleraeque species aemulentur, gemmas etiam similes fore, confido.

insident alterna, sessilia, saepius fasciculata, rarius solitaria, nonnunquam linearia, plerumque vero capillaria, neque vero setarum vel ipsarum spinarum naturam repudiantia, ita ut nonnullis speciebus folia plane derogarent solasque spinas adscriberent veteres botanici; ceterum acuta vel mucronata sunt, erecta, raro patentia, stipulis suffulta deciduis aut persistentibus, solitariis aggregatisve, ramos etiam subjuvantibus, membranaceis, gemmarum (si originem respexeris) tegminibus relictis.

Axillae, alae, rami ipseque caulis flores exserunt rarissime sessiles, creberrime pedunculis geniculatis sustentos, solitarios, binos, aggregatos, racemosos nec non umbellatos, bracteis membranaceis suppositis. Flores simplici instruuntur perianthio, quod calycem an corollam nominare malis, nostra nil interest. Constat autem e foliolis (sepalis, petalis) senis, basi connexis (ut periauthium etiam monophyllum sexpartitum nominari liceat) lanceolatis, obtusis, glaberrimis, integrerrimis, erectis reflexisve. Eorum plerumque basi stamina inseruntur perianthium aequantia, erecta, aequalia, filamentis filiformibus vel subulatis, glabris, antheris bilocularibus, globosis aut ablongis, integerrimis vel sagittatis, incumbentibus erectisve, liberis usq;. His pistillum circumdatur stama aequans germine subgloboso, ovato aut obovato, supero, subsessili, nisi pedunculi geniculati articulum superiorem germinis esse pedicellum extra florem positum feceris. Exit in stylum solitarium, filiforme, glabrum, trifidum, cuius stigmata aut connivent aut reflectuntur, acuta seu globosa sunt. Styli autem tripartitio jam in germine agnoscitur, quippe quod haud raro trigonum reperiatur angulis subsulcatis styli partitioni respon-

dentibus, ut germina revera terna in unum postea coalita stylorum ternorum partes inferiores connexisse videantur. Diclini nonnullarum evadunt specierum flores, iisque abortu. Masculi enim foemeneique structura nihil fere inter se differunt; hi tamen praeter germen staminibus sterilibus instucti sunt, illi praeter stamina germine et puncto in eo prominente gaudent, stylo vero plane destituti sunt. Hos solos perscrutatus Linnaeus (<sup>9</sup>) toti generi stylum derogavit stigmaque punctum esse prominens statuit, quem errorem Haynius (<sup>10</sup>) jam dudum emendavit \*)

Flores baccae excipiunt globosae, ovatae, trigonae vel tricoccae etiam, baccarum juniperinarum, pisorum, rarius nucum juglandum magnitudine, coccineae, coeruleae vel cinereae, nitidae, apice haud raro stylo, basi perianthio persistente marcescente ornatae, triloculares, succulentae vel exsuccae. Ceterum origine tot acini, quot postea loculamenta, esse videntur, ut jam supra monui. Pulpa baccis contenta gustu mucilaginoso-dulci est. Fructibus delapsis receptaculum (trophospermium) subpyramidatum in conspectum venit.

Semina singula vel bina loculamentis insunt arillo tecta membranaceo. Hunc vero in maturioribus praesertim seminibus distinctissimum membranam etiam pericarpii internam habere licet. Si bina ad sunt semina, eodem vestitur utrumque arillo, alterum alteri superimpositum, illud lenti parte inferiore dis-

---

9) genera plant.

10) Arzneygewächse, Bd. 8.

\*) Diclinos inveni: A. offic., tenuifol., declinat., verticill., umbellat., aphyll., acutifol., depend., lanceum.

sectae, hoc lenti parte superiore dissectae simile. Sin singula continentur semina, formam induunt mere lenticularem atque arillo proprio instructa sunt. Umbilicus albescens, pubescens, planus, in media seminis superficie altera conspicuus absque funiculo pericarpii ipsi columellae inseritur (semen sublenticulare peritropum). Testa s. membrana externa (epispermium Rich.) nigerrima, nitida est, qua exuta ipse prodit nucleus membrana interna non vestitus. Maxima ejus pars albumine (perispermio Juss., periembryo Lk.) cartilagineo, subpellucido expletur. Embryo filiformis, subclavatus a seminis margine laterali altero medio exorsus secundum dorsum ejus marginem petit oppositum, descendens simul et ad basin non nihil vergens (embryo endospermicus, intrarius, heterotropus, eccentricus). Medium tamen inter basin et dorsum atque plane horizontalem inveni embryonem Asparagi decumbentis Jacq. Nonnunquam embryonem reperi arcuatum, ita ut fines ejus umbilicum spectarent (embryo amphitropus Rich.).

De pullulandi ratione nihil afferre possum, quum semina per plures hebdomades ipsa aqua oxymuratica digesta ne vestigium quidem ostenderint germinationis, neque apud auctores carpologicos hac de re quidquam traditum inveniam.

Ex his, quae sermone magis pedestri adhuc dicta sunt, facile characterem generis nostri naturalem lege artis concinnabis. Talem, nisi quid moraris, statuerim.

*A s p a r a g u s.*

*Perianthium simplex, profunde sexpartitum.*  
*Laciniae suberectae, lanceolatae, obtusae.*

*Stamina sex, longitudine perianthii, perigyna.  
Filamenta erecta. Antherae biloculares,*

*Pistillum longitudine staminum. Germen sub-  
ovatum, sessile, superum. Stylus solitarius, filiformis,  
erectus, trisidus. Stigmata reflexa.*

*Pericarpium bacca subglobosa, trilocularis.  
Loculi mono-seu dispermi. Receptaculum pyrami-  
datum.*

*Semina lenticularia, peritropa. Arillus mem-  
branaceus. Membrana externa coriacea, interna  
nulla. Albumen cartilagineum, pellucidum. Embryo  
filiformis, clavatus, heterotropus, eccentricus, dor-  
salis. (¹¹)*

### §. 3.

Plurima eorum, quae charactere naturali modo  
stabilito continentur, aliis quoque propria sunt gene-  
ribus nonnullis Asparago affinibus, a quibus genus nos-  
trum notis certis distinguere haud adeo facile est. Per-  
tinent huc Dracaena (¹²) atque (quamvis in sys-  
temate Linnaeano ipso ordine dirimuntur) Medeola (¹³)  
nec non Myrsiphyllum a Willdenowio (¹⁴) se-  
junctum. Dracaenam in Linnaei operum primis edi-  
tionibus cum Asparagis in unum genus videmus co-  
actam. Habitus autem utrisque plane diversus. Dra-  
caenae trunko arboreo, procerissimo, palmarum sti-

---

¹¹) sit venia huic termino vix usitato, hic autem neces-  
sario.

¹²) Hayne: Arzneygew. Bd. 9. T. 2.

¹³) bot. mag. 1316.

¹⁴) Magazin der Gesellsch. naturforsch. Freunde zu Ber-  
lin. 1808. p. 25.

pitibus haud absimili, foliis longis latisque gaudent; Asparagi caule herbaceo vel fruticoso, foliis plerumque fasciculatis, filiformibus, ad summum linearibus vel sine floribus ab illis dignoscuntur. Quare Linnaeus postea utrumque genus separavit, notis autem fructificationis adjectis haud plane probandis. Filamentis enim ei praecipue differre videntur alteri medio incrassatis, alteri, ut videtur, filiformibus. Filamenta autem Dracaenae Draconis praesertim non medio incrassata, sed basi dilatata sunt, quam ob rem Willdenovius (<sup>15</sup>) filamenta medio subcrassiora indicare videtur. Asparagi specierum nonnullarum, v. g. officinalis, filamenta filiformia omnino sunt, plurimis autem basi dilatata. His igitur distinguui nequeunt haecce genera.

In Asparagi autem officinalis et Dracaenae ensifoliae descriptionibus iconibusque a Gaertnero (<sup>16</sup>) exhibitis graviores inveniuntur differentiae. Seminis Asparagi integumenta, ut jam antea dictum est, simplicia sunt, Dracaenae semina membrana et externa et interna utuntur. Hujus embryo prope umbilicum positus est, illius prope dorsum seminis. Asparagi germen sessile, Dracaenae pedicellatum est, id quod ab Haynio, (<sup>17</sup>) investigatore sollertissimo indefessoque primo observatum invenio. Praeterea etiam stigmatibus mihi discrepare videntur. In Asparagi enim speciebus stylum invenio solitarium, trifidum; in Dracaena Dracone stylum solitarium in stig-

---

15) eam. plant. hort. Berol. p. 373.

16) de fructib. et sem. plant. t. 1. p. 56 et 57.

17) l. c.

mata tria globosa finitum, quae stylo integerrimo quasi imposita esse videntur, ita ut Asparagi stylum trifidum, Dracaenae trilobum dixerim. Denique Dracaenae partes genitales saepius exserta, Asparagorum semper inclusae sunt. Harum differentiarum nonnullae jam apud Sprengelium (<sup>18</sup>) et Brunonem (<sup>19</sup>) inveniuntur.

Neque cum Myrsiphyllum aut Medeola, quacum Thunbergius (<sup>20</sup>) Asparagorum genus conjunxit, commisceri potest. Ex ipso enim Medeolarum Myrsiphylorumque Convallariae affinium habitu ab Asparagi indole multum discrepante fructificationis partium diversitatem suspicabimur, nec fallemur. Styli enim et Medeolae et Myrsiphylli, uti jam Linnaeus indicat, terni sunt, in altero contigui, in altera divergentes; in Asparago semper solitarii, praeterquam quod in illis perianthium plerumque reflexum, in hoc fere semper erectum est.

Neque id objicies, jam in Asparago, ut germinaterna, ita stylos etiam ternos perfecturam fuisse naturam, ita ut in illis tantum perfecerit, quod in hoc solummodo spectaverit.— Hoc enim phytophysicis relinquitur indagandum, phytographi solam formam spectent.

Haecce genera inter se summopere affinia distincturi notis uti cogebamus haud adeo magnis, quod vero in omnibus fere monocotyledonibus, liliaceis praesertim, vix aliter fieri potest.

---

18) Anleit. zur Kenntn. der Gew. 2te Ausg. 2 Th. 1.  
Abth. S. 229 u. 231.

19) prodr. p. 294.

20) fl. cap. p. 332.

Hic compositis, generum recensitorum characteres essentiales facilius evolventur:

*A s p a r a g u s.*

*Perianthium simplex sexpartitum. Germen sessile. Stylus solitarius trisidus. Bacca trilocularis: loculi dispermi. Embryo eccentricus dorsalis.*

*D r a c a e n a.*

*Perianthium simplex sexpartitum. Germen pedicellatum. Stylus solitarius trilobus. Bacca trilocularis: loculi dispermi. Embryo eccentricus umbilicalis.*

*M y r s i p h y l l u m W.*

*Perianthium simplex sexpartitum. Styli terni conniventes. Bacca trilocularis: loculi dispermi.*

*M e d e o l a.*

*Perianthium simplex sexpartitum. Styli terni divergentes. Bacca trilocularis: loculi dipermi.*

Characteres nunc compositi ad omne adaptati sunt sistema. Facile eos ad sistema sexuale referes, si Medeolam et Myrsiphyllum ab Asparago et Dracaena ordine sejunxeris signaque e stylis ternis petita omiseris.

Quae cum Asparago modo collata sunt genera, in diversas illum trahunt partes. Dracaena enim, partibus fructificationis omnium maxime illi affinis, habitu diversissima — mirum sed verum dictu — palmis admovet Asparagos. Nam ipsam Dracaenam, si habitum respexeris, procul dubio palmam dices. Myrsiphyllum, praecipue vero Medeola, viam sternit satis

claram ad *Polygonatum*, inde ad *Majanthemum* et  
*Convallariam*, qua ad *Asphodelorum* ordinis cives va-  
rios dicitur. Per *Majanthemum* vero ad *Trillium* per-  
venit, a quo *Paris* nostra nihil fere differt, nisi nu-  
mero quaternario. *Trillii* (<sup>21</sup>) vero Paridisque folia  
cordata, ovata de *Tamo* (<sup>22</sup>) monent, qui foliis riges-  
centibus ad *Smilacem*, (<sup>23</sup>) inde ad *Ruscum* (<sup>24</sup>)  
transit. Haec vero satis dilucide monstrant, genus  
nostrum dicotyledonibus haud parum contiguum esse.  
*Smilacis* enim atque *Rusci* nec non multarum ipsius  
*Asparagi* specierum caulis lignosus et ramosus, folia  
ovata, cordata, haud raro venosa, *Paris* atque *Majan-*  
*themum* a numero ternario atque senario ad quater-  
narium aberrans dicotyledonum praesentiam signis  
apertissimis indicant. Accedit, quod in speciebus  
*Asparagi* fructicosis (*A. capensi*, *A. horrido* etc.) fas-  
ciculos lignosos etsi per totum caulem dispersos me-  
dio tamen rariores, versus marginem densiores me-  
dullam quasi quandam cincturos inveni.

*Asparagi* cognatis breviter lustratis, genus nostrum  
cuinam familiae naturali sit inserendum, quaeres. —  
Haereo responso. Jam *Adansonius*, (<sup>25</sup>) botanicorum  
longe sollertissimus, familiam plantarum constituit,  
quae ab *Asparago* nomen traxit. Plura autem ei in-  
seruit genera civitate excludenda. *Linnaeus* (<sup>26</sup>) in-

---

21) Willden. hort. Berol. 1. tab. 35.

22) Skuhr. 327.

23) du Ham. arb. ed. n. 1. t. 53. 54.

24) Skuhr tab. 340.

25) fam. des plant.

26) term. bot. ed. Giesecke append.

ter Sarmentaceas suas, gregem copiosissimam, Asparagum militare jubet. Iussievus (<sup>27</sup>) ordinem Asparagorum peculiarem prodit haud exiguum, postea varia ratione divisum. Sprengelius (<sup>28</sup>) Sarmentaceas probat, quarum in sectionem tertiam (Asphodeleos) Asparagum recipit ejusque affines. Aptissime tamen Candollius, (<sup>29</sup>) Diescoreis Smilaceisque jam a R. Brunone sejunctis, Liliacearum jam ab antiquioribus botanicis constitutarum a se emendatarum ordini priori praeficit Asparagum. Longum est, omnia enumerare recentiorum de hisce plantis disponendis praeposita; neque enim de Asparagoideis, sed de Asparago. hic agitur.

§, 4.

Haud per exiguam orbis partem Asparagi species progignuntur. Terrarum jam veteribus cognitarum nulla fere adeo est calida, nulla adeo frigida, quae generis nostri cives non alat. Media Europa speciem procreat ob turionum saporem olerum vernorum gratissimum. Planta haecce omnibus partibus mollissima frigore boreali rigescit atque per Europam Asiamque septemtrionalem copiosissimum invenis Asparagum maritimum. In Europa australi aeque ac in Africa boreali nec non Asia occidentali horridissimae conspi ciuntur formae veteribus, ut videtur, hand alienae. Deinde utramque Africes oram insulasque ei adjacentes non deficiunt Asparagi. Largissimam autem eorum

---

27) gen. plant. p. 46 — 49.

28) Anleit. zur Kenntn. d. Gew. Theil 2. Abth. 1. p. 219.

29) theor. elem. p. 219.

copiam facie dissimilimarum promontorium bonae spei, Floraे divitiis obrutum, offert. Asia australis species nonnullas prodit foliis latioribus floribusque racemosis insignes. In Nova Hollandia unum detexit gregis nostri socium R. Bruno. America universa Asparagos plane exulavit. Neque enim apud Michaux, neque apud Pursh, florae Americae borealis auctores, ullam speciem sponte natam, sed Asparagum solum officinalem cultum invenio \*) Scriptores etiam plantarum Americae australis, quos evolvere licuit, Ruiz et Pavon, Humboldt et Bonpland, de hoc genere plane tacent.

Soli, quo maxime cives nostri laetantur, natura haud eadem est; arena tamen iis amicissima esse videtur. Neque vero fluviorum ripas marisque littora ornare, paludes replere recusant; sylvarum quoque incolis procerioribus immiscere non timent, montium autem editiorum juga ascendere fere semper fugiunt.

### §. 5.

Asparagi qualis nunc sit usus, inter omnes constat. Teneros scilicet caulinulos, priusquam in ramos et folia abierint, resecant ineunte vere lege artis olitores. Videndum autem est, ne maturius seriusve quam par est, neve iniquo loco a radice dirimant turiones. Asparagum officinale hunc ad finem in horris agrisque nostris coli, nominem fugit. Sed aliae quoque Asparagi species, A. verticillaris praecipue, huic usui adaptari poterunt. Olera haec verna sunt gratissima, quae coquis diversimode praeparantur. Jus-

---

\*) Pursh fl. amer. septemtrion, t. 1. p. 235.

culis enim imbuuntur, butyro inunguuntur nec non condiuntur. Hominibus sanis si comeduntur, palatum mulcent, ventriculum delectant, nutrimenti autem parumper modo praebent corpori, idque, ut jam Galeno visum est, non boni succi. Urinam crient atque nidorem ingratissimum Geranii Robertiani odori similium mox ei impertiunt; quam rem Lethi (<sup>30</sup>) primus observasse videtur. Evertes autem odorem illum ingratum, si, antequam minges, aquam spiritu salis ad acorem aceti vini acerrimi impraegranatam matulae infuderis (<sup>31</sup>). Terebinthinae in urinam effectus nobis invitis succurrit; sed gemmis etiam Asparagi longissimis, foliorum stipularumque forma de coniferis illis Terebinthinam offerentibus monemur.

Saluti raro injuriam infernnt Asparagi. Haematuriam tamen haud adeo levem ex Asparagi usu natam aegrotum ad huncce morbum adeo proclivem reddidisse, ut rediret, si plantae turiones in laborantis domo solummodo praepararentur, Lanzoni, medicus Italus, memoriae prodidit. (<sup>32</sup>) In partes quoque genitales, ut omnia fere remedia urinam crientia, haud parum valere fertur. Salaces enim inde effici viri, foeminae contra steriles evadere traduntur.

Qui malo aliquo diurno laborant, his morbum exacerbare dicitur. Sic podagrae incessus celerare,

30) de alimento §. 9.

31) Macquer gazette salut. 1768. n. 32.

32) Act. nat. curios. vol. 1, p. 172.

**haemoptysin recidivam reddere, phthisi igitur pulmonali affectis minime conducere fertur.** (33)

Haud exigas vires medicas veteres Asparago tribuebant. Stagnationes resolvere iis videbatur; quare radicis decocta nec non semina contra morbum regium atque multa mala abdominalia adhibebant. In plurimas organorum uropoeticorum aegritudines haud parum valere Asparagum credebant. Propinabant radicum decocta dysuria, stranguria, renum vitiis diversis, (34) lithiasi (35) praesertim laborantibus, neo raro post usum ejus magnam arenularum vim emic tam esse referunt. Artus quoque luxatos Asparago e vino cocto mulcebant. Odontalgias decocta dentibus inspersa sedare, nec non ipsae radices dentibus appressae absque ferro et dolore illos eradicare videbantur.

Nugis superstitioni certe debitis omissis id tamen pro certo habeam, vim quandam Asparago inesse in organa urinam parantia atque emittentia, fortasse et in alia colaloria agentem. Quare, si medicinam vocaveris plantam nostram, remediiis acribus adnumeraverim, quippe quae omnes secretiones promoveant, majore autem copia consumta ventriculum irritent, vomitum aliquosque effectus sat vehementes exhibeant. Genus igitur nostrum Liliacearum civitatem, Smilacearum affinitatem forma jam stabilitam vi sua comprobat. Quem enim Scillae maritimae lotii promo-

33) Quarin. animadv. pract. p. 66. Boerh. aph. §. 1258.  
Swiet comment. v. 4, p. 206, v. 5, p. 306.

34) Diosc. l. c.

35) Helmont. de lithiasi, c. 5, p. 17.

vendi facultas fugit? Medeola virginica Asparago si-millima in morbis hydropticis Americae borealis in-colas uti, multi narrant. Alliorum, Asphodelorum, Trilliorum vires diureticae et in universum acres satis innotuere. Smilaces plurimae omnia corporis nostri colatoria adeo aperiunt, ut sanguinem expurgare vulgo dicantur. Quae omnia doctrinae illi celeberrimae de plantarum forma atqne virtute medica inter se comparanda ab Illustr. Candollio sagacissime prolatae haud exiguum addunt argumentum.

Ex Asparagorum succo inspissato crystallos quas-dam considentes collegerunt Vauquelin et Robiquet<sup>(36)</sup> columellis similes, duras, fragiles, gustu refrigeratorias, nauseosas, salivam cientes, ceterum naturam nec acidam nec alcalinam prodentes, facile aqua, spiritu vini nihil fere solubiles. Praeter partes constitutivas vegetabilibus consuetas azoti quoque particula una alteraque iis inesse videtur. Nomen Asparagini huic materiae inditum est. Praeterea faecula viridis, cera vegetabilis, albumen, natrum atque calcaria phosphorica et acetica, nec non sacchari genus quoddam mannae haud absimile eidem succo haud deerant.

Asparagino huic turiones nostri vires suas singulares debeant, an aliis materiis, qua virtute nova illa substantia in corpus nostrum valeat, id litteris nondum mandatum invenio.

Cf.

Franz: dissert. de Asparago e scriptis veterum. Lips.  
1778. 4.

Cle-

---

36) Journal de chemie, 57, p. 88.

Clericis: de Asparago, auct. I. I. Bayer. Altdorf 1775.

Seidel: kurze Anweisung, den Spargel mit wenigen Kosten und zugleich vorzüglich schön zu bauen.  
Dritte Ausgabe. Erlangen 1786.

de Candolle: Versuch über die Arzneikräfte der Pflanzen, verglichen mit ihren äussern Formen u. ihrer natürlichen Klasseneintheilung, übers. von Perleb.  
S. 346 u. 47.

### §. 6.

Asparagi species, quo facilius perspiciantur, ap-  
tissime hac ratione distribui mihi videntur:

#### *Armati.*

1. *fol. linearibus vel lan-*  
*ceolat.*

A. *sarment.*

*falcat.*

*lanceus.*

2. *fol. capillaribus acero-*  
*sive.*

1'. *flor. solit. aggrega-*  
*tisve.*

1''. *aculeis ternis.*

A. *capensis.*

*stipulac.*

2''. *aculeis solitariis.*

A. *dependens.*

*albus.*

*afric.*

*retrofr.*

*stipularis.*

2'. *floribus racemosis.*

A. *racemos.*

*fasciculat.*

*tetragon.*

#### *Inermes.*

1. *fol. rigidioribus.*

A. *acutifol.*

*phyllacanthus.*

*horridus.*

2. *fol. mollioribus.*

1'. *fol. binis ternisve.*

A. *flexuosus.*

*subulatus.*

*decumbens.*

*crispus.*

*scandens. \*)*

2'. *fol. fasciculatis*

*plurimis.*

1''. *flor. umbellatis.*

A. *grandifl.*

*umbellulat.*

*umbellat.*

2''. *flor. 1 — 4nis.*

A. *filicinus.*

*verticill.*

*tricarin.*

*dauric.*

*marit.*

*officin.*

*tenuifol.*

*declinat.*

\*) In descriptionibus sequentibus hanc speciem quamvis  
huc pertinentem inter armatos tamen juxta A. lanceum  
posui ob causam infra dicendam.

\* A r m a t i.

1. *Asparagus sarmenosus.*

*Folia solitaria linearia. aculei reflexi.*

A. *sarmenosus.* Linn. fl. zeylan. p. 124.

Redouté: les liliacées, t. 8, t. 460. ic.

*Asparagus aculeatus maximus sarmenosus zeylanicus.* Herrmann hort. lugduno-bat. p. 63 ic.

Radix fasciculato-ramosa. Radiculae fusiformes pollicem crassitie aequantes albicantes. Caulis teres glaber sulcatns. Rami scandentes. Folia solitaria sparsa linearia acuminata integerrima unguicularia. Aculei solitarii axillares alaresque recti reflexi foliis breviores. Stipulae solitariae lanceolatae acuminatae minutae. Pedunculi solitarii foliis duplo breviores medio geniculati in racemum foliaceum dispositi bracteati. Perianthium campanulatum patens lentis fere magnitudine sexpartitum. Stamina perianthii basi inserta laciniarum ejus magnitudine. Filamenta filiformia. Antherae incumbentes globosae sagittatae. Stylus rectus trifidus. Stigmata tria. Baccae tricoccae. Semina solitaria.

Descriptionem secundum exemplar herb. Willden. ex horto Paris. (jardin des plantes) oriundum composui.

Hab. in insula Zeylona. Fl. Julio.

Europaeos in insula degentes plantam Scorzonera-ram vocare ob saporem radicis, quam dulcem gratam-que vel cum lacte aut carne coctam vel sale aceto et pipere conditam in deliciis habeant incolas, refert Herrmannius.

## 2. *Asparagus falcatus.*

*Folia fasciculata linearia ensiformia, pedunculi axillares aggregati, aculei solitarii.*

A. *falcatus*. Linn. fl. zeylan. p. 124.

*Asparagus foliis falcatis ex uno puncto numerosis.* Burmann thes. zeylan. p. 36. t. 13 ic.

*Caulis ramosus. Folia nona-dena linearia acuta falcata sesquipolligaria. Stipulae ternae - quaternae minutae. Pedunculi quini-septeni foliis triplo breviores.*

Neque Sprengelii (syst. veget. t. 2. p. 95) neque Linnaei (fl. Zeyl. l. c.) Burmannum citantis descrip-  
tio hujusce respondent iconi. Linnaeus enim race-  
mos minutos, Sprengelius folia subterna plantae ad-  
scribunt. Flores autem aggregatos quidem, neque ve-  
ro in racemum dispositos, folia nona fere ostendit  
icon. Evidem, planta in herbariis regiis deficiente,  
Burmannum, primum, ut videtur, hujus speciei auc-  
torem, secutus sum.

Hab. in insula Zeylona.

## 3. *Asparagus scandens Thunb.*

*Caulis inermis, folia terna linearia ensiformia.*

A. *scandens*: Thunberg flor. cap. p. 334.

A. *pectinatus*: Réd. les liliac. tom. 7, t. 407. ic.

*Caulis herbaceus scandens teres glaber. Rami solitarii ternique simplices. Folia sessilia terna lanceolata ensiformia acutissima glabra integerrima unguicularia. Stipulae ramorum ternae ovatae acutae, foliorum solitariae fimbriatae foliis duplo breviores. Pedunculi solitarii geminique axillares uniflori supra medium geniculati foliis longiores. Perianthium sub-*

globosum sexpartitum. Laciniae connientes. Stamina perianthii basi inserta inclusa. Filamenta subulata. Antherae erectae oblongae longitudine filamentorum. Germen globosum. Stylus erectus trifidus.

Hanc speciem quamvis inermem ideo huc retuli, quo melius pateret, quantum a sequenti, quae cum in unam redacta est speciem a Sprengelio, differret.

Hab. ad prom. bon. sp. in sylvis. Flor. Octobr. et Novembr.

4. *Asparagus lanceus Thunb.*

*Aculei solitarii minuti, folia elliptico-lanceolata solitaria ternaque.*

A. lanceus. Thunb. fl. cap. p. 334.

Caulis erectus angulosus glaber. Folia alterna sessilia solitaria (his exceptis, quae ultimis ramis incident atque terna sunt) elliptico-lanceolata integerima acuta nervosa glabra pollicem longa lineam lata. Stipulae ternae rigidae, altera extrafoliacea major basi in aculeum minutissimum rectum reflexum desinens, reliquae laterales minores. Pedunculi terminales solitarii geminique nec non terni uniflori foliis triplo breviores infra medium geniculati. Perianthium sexpartitum. Laciniae erectae. Stamina perianthio medio inserta inclusa. Filamenta lanceolata. Antherae erectae oblongae. Germen ovatum. Stylus erectus trifidus. Flores haud raro diclini: masculi german tamen sine stylo et stigmate habent, foeminei staminibus plane carent.

Hab. ad prom. bon. sp.

Conjungit Sprengelius (syst. veg. t. 2. p. 95) species duas modo descriptas sub nomine A. aethiopici,

cujs igitur speciei Linnaeanae hasce Thunbergianas varietates habet. A. vero scandens ab A. aethiop. L. plane abhorret. Exemplaria enim illius satis crebra inter plantas capenses herbarii regii relata nomine quidem non instructa et cum exemplare herb. gen. nomine praedito et cum planta apud Redouteum depicta (quam, an revera sit A. scandens Thunb. auctor adhuc dubius, A. pectinatum interim nominat) et cum descriptione Thunbergii plane convenit. Ejus autem folia semper sunt terna: A. aethiopicum foliis septenis exornat Linnaeus (mant. pag. 63). Similem quoque esse, eodem loco dicit, Corruda tertiae Clus. a nostro, si Clusii iconem comparaveris, toto coelo diversae. Eadem e causa ne A. lanceus quidem cum A. aeth. recte conjungi videtur, quae quidem sententia ipsi Thunbergio haud displicet. Corruda enim tertia Clus. a Linnaeo citata foliis angustissimis, fere filiformibus, gaudet. A. lanceo folia elliptico-lanceolata adscribuntur. An formae adeo discrepantes similes Linnaeo videri possunt? — Icon Clusiana A. albo L. respondet, qui ab A. dependenti Thunb. et A. africano Lam. haud adeo abhorret. Alterumutrum A. aethiopicum L. esse censuerim.

### 5. *Asparagus capensis.*

*Aculei terni recti patentes: medius elongatus, flores solitarii geminique terminales sessiles, caulis ramosus: rami divaricati ramulosi.*

A. capensis. Thunb. fl. cap. p. 334.

*Asparagus aculeatus triplici spina. Pluk phys-  
togr. t. 78. f. 3. ic.*

*Caulis fruticosus teres glaber pedalis. Rami di-*

varicati ramulosi. Ramuli fasciculati unguiculares. Folia fasciculata octona-dena verticillum simulantia sessilia capillaria mucronata tomentosa lineam longa subimbricata. Stipulae solitariae membranaceae ovatae acutae margine ciliatae foliis duplo breviores. Aculei axillares alaresque terni recti patentes, medius elongatus, flores solitarii geminique sessiles terminales bracteati. Perianthium sexpartitum lineam longum. Laciniae erectae ovato-lanceolatae acutae. Stamina inclusa. Filamenta subulata. Antherae oblongae in-cumbentes. Germen ovatum. Stylus longitudine germinis trifidus, Stigmata tria. Bacca ovata triquetra trisulca, fere tricocca.

Hab. vulgatiss. infra montes prom. bon. sp. in frut. et sylv. fere omnibus. Fl. Maj. et Jun.

### 6. *Asparagus stipulaceus Lam.*

*Aculei terni recti patentes: medius elongatus, flores solitarii geminique terminales, caules virgati ramosi: rami simplices fasciculati.*

A. stipulaceus. Lamark encycl. bot. t. 1. p. 297.

Praecedenti simillimus, varietas fortasse ejus, neque ab eo differt nisi signis in diagnosi allatis. Caules enim non magnos ramos patentes ramulosos emitunt, sed simplices eosque fasciculatos minutos A. capensis ramulis convenientes. Reliqua, quae huic propria esse Lamarkius dicit, in A. capensi etiam inveniuntur.

Ejusdem speciei esse videtur planta, quam sub nomine A. triacanthi Ill. Lichtenstein herbariis regiis donavit eo tempore, quo Lamarkii opus nondum innotuerat.

Hab. ad Prom. bon. sp.

7. *Asparagus dependens* Thunb.

*Folia fasciculata capillaria, aculei solitarii recti reflexi, pedunculi axillares solitarii geminique.*

A. *dependens*. Thunb. cap. p. 333.

A. *rubicundus*. Berg. plant. cap. p. 88.

Caulis fruticosus ramosus, flexuosus, quadrangularis sulcatus glaber. Folia fasciculata vicina et ultra, capillaria lineas fere quatuor aequantia. Stipulae plurimae acutae ovatae; aculei axillares, alaresque, solitarii recti, reflexi, folia acquantes. Pedunculi solitarii geminique axillares cernui longitudine foliorum medio geniculati. Perianthium campanulatum sexpartitum. Laciniae lanceolatae concavae subpatentes. Stamina laciniarum basi inserta inclusa. Antherae erectae sagittatae. Germen obovatum. Stylus longitudine germinis trifidus. Baccae globosae magnitudine pisorum nigricantes.

Diclinos etiam flores invenio, eosque abortu.

Hab. ad prom. bon. sp.

8. *Asparagus albus*.

*Aculei solitarii recti, pedunculi aggregati, folia fasciculata capillaria.*

Corrudatertia. Clus. hist. plant. rar. p. CLXXIX ic.

Caulis teres glaber, junior albus, adultus colorem consuetum induens ramosus tripedalis. Rami alterni albi. Folia fasciculata octona- dena exstipulacea (stipulae forsitan deciduae) tetragona mutica capillaria unguicularia. Aculei solitarii recti patentes longitudine foliorum. Pedunculi axillares aggregati foliis paullo breviores infra medium geniculati. Perianthium campanulatum sexpartitum subpatens. Stamina perianthii basi inserta inclusa. Filamenta filiformia. Antherae

oblongae incumbentes. Germen globosum. Stylus trifidus. Bacca globosa.

Hab. in Europa australi, Africa boreali, in Canariis, promont. b. sp.

Radices aut crudas aut coctas atque oleo, aceto et sale conditas comedunt incolae; folia gustu dulcia et gummosa sunt, Clusio quidem auctore.

9. *Asparagus africanus Lam.*

*Aculei solitarii recti reflexi, pedunculi aggregati, folia capillaria arcuata.*

A. africanus. Lamark encycl. bot. t. 1, p. 295.

Cf. Pluk. amalg. p. 40. t. 374 f. 4. ic.

Caulis fruticosus lignosus teres glaber bipedalis. Rami divaricati. Folia fasciculata dena-quindena pollicaria. Aculei solitarii recti reflexi lineas fere duas aequantes. Stipulae deciduae. Pedunculi axillares gemini aggregatique bracteati infra medium geniculati foliis triplo breviores. Perianthium campanulatum. Stamina perianthii basi inserta. Filamenta subulata. Antherae oblongae incumbentes. Germen globosum. Stylus trifidus.

Hab. ad. prom. bon. sp.

Ad exemplar plantis capensibus insertum nomine quidem non instructum, sed descriptionibns Lamarkii Sprengeliique respondens characterem constitui.

10. *Asparagus retrofractus.*

*Aculei solitarii recti, folia terminalia stellata.*

*Asparagus retrofractus.* Forskäl. flor. aegypt. syr.

p. 73. Lam. encycl. t. 1, p. 295.

Cf. Pluk. amalg. t. 375, f. 3, ic.

Lamark. l. c. et post eum Sprengelius (syst. veget. tom. 2, p. 95) aculeos ternos plantae adscribunt; Lin-

naeus ipse (spec. pl. ed. Reichardt et hort. Cliff.) et celeb. Forskälius (l. c.) aculeos solitarios referunt, quos brevissimos e stipularum induratarn basi nasci idem refert Forskäl. Inde etiam factum esse videtur, ut nec imago Plukenetii nec exemplar herb. Willd., quod descriptionibus ceterum respondet, ad juniores nimirum referenda plantas aculeis careant. Ceterum folia in supremis tantum ramis stellatim disposita plantam satis distinguunt. Florum nihil usquam inveni, ne in exemplare quidem Willdenowiano.

Hab. in Africa boreali et australi.

#### 11. *Asparagus stipularis* Forsk.

*Aculei solitarii recti reflexi, flores axillares solitarii, folia solitaria rigida.*

A. stipularis. Forskäl. fl. aegypt. syr. p. 72.

Caulis angulosus diffusus ramosus. Rami patentes angulosi. Folia subulata mucronata angulata patentia conferta rigida solitaria pollicaria. Stipulae alares axillaresqne extrafoliaceae membranaceae lanceolatae amplexicaules. Aculei solitarii reflexi. Pedunculi brevissimi. Perianthium campanulatum. Baccæ coeruleæ globosæ baccis juniperinis simillimæ.

Hab. rar. circa Alexandriam.

Plantam huic simillimam describit et depingit Jacquin (eclog. plant. t. 1. p. 59, tab. 40), foliis autem remotioribus cauleque non anguloso sed sulcato diversam. Hanc Sprengelius (syst. veg. t. 2, p. 95) cum A. stipulari in unam conjungit speciem, addens synonymum A. Brousoneti Jacq., oblitus, ut videtur, a se ipso primum hocce nomen inditum esse (catal. hort. Hal. 1804). Assentieris ceterum huic sententiae, si

caulem sulcatum facile in angulosum abire, foliis autem plus minus densis vix speciem a specie distingui posse cogitaveris. Reliqua enim utriusque communia.

A. Brussoneti non in Africa, sed in Canariis indigenum esse, conjicit Jacquin.

### 12. *Asparagus asiaticus.*

*Aculei solitarii recurvi, pedunculi solitarii, folia fasciculata capillaria*

Asparagus aculeatus minor. Pluk. Phytogr. t. 15,  
f. 4. ic.

Caulis fruticosus teres glaber ramosus pedalis-bipedalis. Aculei alares solitarii recurvi 2'''—3''. Folia fasciculata quindena-vicena setacea mucronata glabra arcuata, 1'''—2''' longa. Stipulae ad exortum ramorum ternae, ad folia solitariae concavae membranaceae lanceolatae. Pedunculi solitarii uniflori medio geniculati foliis breviores. Perianthium sexpartitum. Laciniae reflexae. Stamina perianthii basi inserta longitudine laciniarum. Filamenta dilatata. Antherae oblongae incumbentes. Germen ovatum. Stylus erectus filiformis longitudine germinis trifidus.

Hab. in India orientali.

### 13. *Asparagus racemosus* W.

*Aculei recti reflexi, folia fasciculata linearia subensiformia, flores racemosi.*

A. racemosus. Willd. spec. plant. t. 2. p. 152.

Caulis teres fruticosus glaber. Rami solitarii alterni. Folia fasciculata sena pluraque linearia ensiformia unguicularia. Stipulae minutissimae deciduae

Aculei axillares reflexi longitudine foliorum. Racemi axillares pollicares. Pedicelli foliis duplo breviores medio geniculati. Bracteae membranaceae ovatae concavae minutae singulis pedicellis subjectae. Perianthium campanulatum acicularum capita aequans. Laciniae erectae. Stamina basi inserta. Filamenta filiformia. Antherae incumbentes oblongae sagittatae. Germen ovatum. Stylus erectus trifidus.

Hab. in insula Zeylona.

Descripti speciem secundum exemplar ipsius Willdenowii.

14. *Asparagus fasciculatus R. Br.*

Aculei solitarii divaricati, flores racemosi, folia fasciculata filiformia.

A. fasciculatus. R. Brown. prodr. flor. Nov. Holl.  
in Isid. t. 1, p. 858.

15. *Asparagus tetragonus* (spec. nov.)

Aculei solitarii recti reflexi, flores racemosi, folia fasciculata setacea tetragona.

Caulis teres striatus glaber ramosus divaricatus. Folia sessilia fasciculata bina-quaterna mucronata tetragona unguicularia. Aculei alares recti reflexi longitudine foliorum. Racemi axillares pollicares. Pedicelli foliis breviores medio geniculati bracteis membranaceis ovatis acutis suffulti. Perianthium patens campanulatum. Laciniae lanceolatae obtusae. Stamina longitudine laciniarum. Filamenta dilatata. Antherae incumbentes sagittatae. Germen globosum. Stylus brevissimus trifidus.

Hab. ad prom. bon. sp. Attulerunt herbariis Mundt  
et Maire.

Quantum e R. Brunonis descriptione satis suc-  
cincta intelligitur, priori simillimus, neque ab eo di-  
versus nisi aculeis reflexis, qui in illo divaricati (pa-  
tentibus) sunt. Huic etiam conjuxisse speciem nos-  
tram, si illius cognitionem perfectiorem habuissem,  
neque Nova Hollandia formas orbi antiquo adeo alie-  
nas progignere consuevisset.

\*\* Inermes.

16. *Asparagus acutifolius*.

*Caulis inermis tomentosus, folia fasciculata ri-  
gida.*

Corruda prior. Clus. rar. plant. hist. lib. V, p.  
CLXXVII ic.

*Asparagus foliis acutis.* C. Bauh. pin. p. 490.

Radix fasciculata. Radiculae senae-octonae polli-  
cem crassitie aequantes. Caulis erectus teres non-  
nunquam angulosus vel sulcatus striatusve tomento-  
sus inermis tri-sexpedalis. Folia fasciculata plurima  
exstipulacea rigida mucronata perennantia. Flores  
axillares solitarii geminique cernui odori. Pedunculi  
foliis longiores medio geniculati. Perianthium sex-  
partitum campanulatum. Stamina inclusa. Filamenta  
subulata. Antherae incumbentes oblongae. Germen  
obovatum. Stylus longitudine germinis rectus trifidus.  
Baccae cinereae.

Flores nonnunquam, ut aliarum specierum, abortu  
diclini

17. *Asparagus phyllacanthus Lam.*

*Folia fasciculata rigida, caulis glaber inermis.*

A. *aphyllus* L.

Corrua altera. Clus. rar. pl. hist. lib. V, p. CLXXVII ic.

Cf. Tournefort Beschreibung einer Reise nach der Levante. Aus dem Franz. Nürnb. 1776.

Th. 1. S. 352 ic.

Caulis fruticosus angulosus sulcatus glaber ramosus inermis. Folia fasciculata terna-sena acerosa acuminata fere spinescentia patentia unguicularia. Stipulae membranaceae deciduae plurimae et extrafoliaceae et intrafoliaceae. Hae pedunculos cingunt et bractearum prae se ferunt speciem. Flores axillares pedunculati cernui. Perianthium campanulatum. Stamina perianthii basi inserta inclusa. Filamenta basi dilatata. Antherae oblongae incumbentes. Pistillum statibus brevius. Germen subglobosum. Stigma mutilatum, flores igitur abortu diclini.

Praecedenti simillimus, foliis tantum rigidioribus minus confertis, caule glabro distinguendus.

Odorem hircinum spargere plantam, refert Tournefortius l. c.

Hab. locis sabulosis Europae australis, Asiae minoris et Africae borealis; e saxorum saepe rimis pronascitur.

18. *Asparagus horridus.*

*Folia rigidissima tetragona, caulis glaber inermis.*

A. *horridus*. Redouté les liliacées, tom. 5, t. 288ic

*Asparagus hispanicus aculeis crassioribus horridus.* Tournef. instit. rei herb. t. 1, p. 300.

Cf. Tournef. itin. l. c.

A praecedenti vix distinguendus, nisi partibus omnibus rigidioribus crassioribus. Quod autem quum et in diversis ejusdem plantae ramis summopore variare ipse jam Tournefortius (Reise l. c.) tradat eumque Rédouté (l. c.) sequatur: in horum virorum sententiam non solum discedam, sed A. acutifolium etiam addam omnesqne has tres species a Linnaeo constitutas ejusdem speciei (A. rigidi forsan nominandi) meras varietates habeam.

Hab. iisdem cum praecedenti locis, flor. per totum annum.

19. *Asparagus flexuosus* Thunb.

*Caulis inermis, folia terna lanceolata.*

A. flexuosus. Thunberg flor. cap. p. 333.

20. *Asparagus subulatus* Thunb.

*Caulis inermis, folia terna capillaria, flores sessiles.*

A. subulatus. Thunb. fl. cap. p. 333.

21. *Asparagus decumbens* Jacq.

*Caulis inermis, folia terna capillaria, flores penduculati.*

A. decumbens. Jacq. hort. Schönbrunnens. t. 1, p. 71, tab. 97.

Radices fasciculatae tuberosae albidae unciales. Caulis angulosus glaber debilis inermis. Rami alterni alternatim ramulosi. Folia terna sessilia setacea trigona acuminata lineas fere duas aequantia. Stipulae extrafoliaceae solitariae membranaceae ovatae acutae integerrimae. Pedunculi axillares solitarii uniflori foliis duplo longiores infra perianthium geniculati. Perianthium sexpartitum. Laciniae lanceolatae obtusae reflexae. Stamina basi inserta laciniarum longitudine. Filamenta subulata. Antherae oblongae incumbentes. Germen ovatum (e tribus re vera partibus inter se coailitis pronatum facile videbis). Stylus brevis trifidus. Stigmata obtusa. Bacca, quam immaturam vidi, ovata stylo terminata subtrigona trilocularis. Columella basi incrassata e pedunculo elongato oriunda. Semina bina lenticularia nigra.

Hab. ad prom. bon. sp. Fl. Nov. et Decembr.

22. *Asparagus crispus Lam.*

*Caulis inermis, folia gemina linearia.*

A. crispus. Lamark: encycl. bot. t. 1. p. 295.

Caulis herbaceus flexuosus debilis subscandens bipedalis. Rami flexuosi filiformes. Folia linearia acuta gemina raro terna lineas duas-tres aequantia. Pedunculi solitarii articulo destituti tres lineas longi uniflori. Perianthium minutissimum. Habitus fumariae.

Hab. in Isle de France.

In descriptione, cum exemplaria deessent, Lamarkium secutus sum.

23. *Asparagus grandiflorus* (spec. nov.)

*Caulis inermis angulosus, folia fasciculata capillaria, flores axillares umbellati.*

*Caulis inermis fructicosus sulcatus pubescens. Rami alterni angulosi ramulosi. Folia fasciculata octona-duodena acutissima angulosa unguicularia. Stipulae alares ovatae acutae. Flores axillares umbellati duodeni-quindeni. Bracteae plurimae membranaceae. Pedunculi foliis breviores geniculati. Perianthium campanulatum florum Convallariae majalis magnitudine sexpartitum. Laciniae erectae ovatae. Stamina perianthii basi inserta inclusa. Filamenta basi dilatata. Antherae oblongae subsagittatae incumbentes. Germen globosum.*

Plantis insertum Willdenowianis inveni, adjecto nomine Broussoneti et patria Teneriffa.

24. *Asparagus umbellulatus*. (spec. nov.)

*Caulis inermis teres, folia fasciculata capillaria recurva, flores axillares umbellati.*

*Caulis teres glaber inermis. Rami alterni, Folia fasciculata setacea subpollicaria. Flores axillares umbellati octoni-deni. Bracteae plurimae involucrum simulantes. Pedunculi brevissimi medio geniculati. Perianthium campanulatum sexpartitum. Laciniae lanceolatae erectae. Stamina medio perianthio inserta lacinias aequantia. Filamenta subulata. Antherae oblongae incumbentes. Germen globosum. Stylus rectus trifidus.*

Hab. in insula Mauritii.

Misit Sieber.

25. *Asparagus umbellatus* (spec. nov.)

*Caulis inermis teres, folia fasciculata capillaria,  
flores terminales umbellati.*

Caulis inermis herbaceus teres glaber pennae corvinae crassitie. Rami erecti subfastigiati alterni simplices. Folia alterna fasciculata sena-octona approximata alaria rameaque capillaria acuta vix unguicularia. Stipulae solitariae extrafoliaceae alaresque membranaceae ovatae acutae minutissimae. Flores terminales umbellati rarissime verticillati sedeni-viceni. Involucrum polyphyllum. Foliola plurima membranacea ovata. Pedunculi foliis paullo longiores infra medium geniculati uniflori. Perianthium sexpartitum campanulatum. Laciniae erectae. Stamina basi perianthii inserta inclusa. Filamenta subulata. Antherae oblongae incumbentes. Germen superum globosum. Stylus erectus trifidus. Stigmata reflexa. Flores haud raro, ut in aliis speciebus, abortu diclini.

Hab. in Canariis, e quibus relatum herbariis regiis donavit Celeb. de Buch.

26. *Asparagus filicinus* Don.

*Caulis inermis, folia fasciculata ensiformia, pedunculi axillares solitarii geminique.*

A. filicinus. Caule erecto ramosissimo, foliis inaequalibus quinis linearibus falcatis mucronatis unnnerviis, pedunculis unifloris axillaribus solitariis geminis pedicellatis foliis brevioribus fructiferis longioribus. Don. prodrom. flor. Nepalensis. Lond. 1825, p. 49.

A. Cirillus. Roxb. hort. Beng. p. 24.

A. falcato similis esse videtur.

Patria Nepal.

27. *Asparagus verticillaris.*

*Caulis inermis, folia fasciculata linearia, flores quaterni quinique.*

A. verticillaris. Bieberstein flor. taur. caucas.

t. 1.

A. orientalis foliis Galii. Tournef. coroll. p. 21.

Buxbaum plant. minus cognit. cent. V. 37 ic.

Caulis inermis herbaceus angulosus. Rami angulosi glabri. Folia alaria fasciculata octona-dena linearia subensiformia pollicaria. Stipulae solitariae ovatae. Pedunculi axillares quaterni quinique lineas duas longi medio geniculati. Perianthium campanulatum sexpartitum. Stamina basi perianthii inserta inclusa. Filamenta filiformia. Antherae globosae bifidae. Germen globosum. Stylus saepius nullus, flores igitur abortu diclini.

Hab. in Tauria, ad Caucasum, in Asia minori.

Plantae modo descriptae in herbario generali alia est apposita multis numeris cum nostra conveniens, foliis autem ternis (nec senis), floribus binis (nec quaternis) perianthiisque majoribus gavisa. An species peculiaris? — A. verticillarum a triphyllum interim nominaverim.

28. *Asparagus tricarinatus DC.*

*Caulis inermis, folia fasciculata triquetra canaliculata, flores solitarii geminique.*

A. tricarinatus. Rèdouté: les liliacées, t. 8, tab. 451.

Radix fasciculata dulcis. Caulis erectus teres inermis quinquepedalis. Rami patentes ramulosi. Folia fasciculata sena-septena verticillum simulantia inaequalia 4" — 1" longa arcuata triquetra canaliculata. Stipulae solitariae acutae. Pedunculi solitarii gemini-que axillares ultimis ramis insidentes  $1\frac{1}{2}"$  longi.

Similis A. verticillari.

Patria ignota.

29. *Asparagus dauricus*. Fisch.

*Caulis herbaceus erectus, rami recti, folia fasciculata setacea elongata, pedunculi solitarii nutantes.*  
*Fisch. hort. Gorenk.*

Hab. in Dauria.

Hujusce characterem e Linkii enumeratione plant. h. Berol., ubi Fischeri verba redduntur, desumsi, etsi ceteris speciebus non adaptatus est. Plantam autem nativam non vidi; cultam vero in herbario horti Berol. servatam ab Asparago maritimo mox delineando haud multum video discrepantem. Inter hunc et A. officinalem intermedius esse videtur. Hujus illiusve varietatem habuerim. Speciem tamen plane tollere ausus non sum, quia exemplaribus nativis atque descriptione fusiore defientibus non probe hanc plantam cognovi.

30. *Asparagus maritimus*. Pall.

*Caulis inermis, folia fasciculata rigida, flores solitarii geminique, pedunculi sub flore geniculati.*

A. maritimus, Bieberstein: fl. taur. caucas. t. 3.  
p. 270.

A. amarus. de Cand. flore franc. t. 6. p. 309. Réd.  
les liliac. t. 8. tab. 446. ic.

- A. Tauscheri. Fisch. hort. Gorenk.  
 A. officinalis, *a* maritimus L.  
 A. marinus Clus. I. c. ic.  
 A. maritimus crassiore folio. C. Bauh. pin. p. 490.  
 A. palustris. Raj. hist. pl. t. 1. p. 683.  
 Totius habitus rigiditate, partibus omnibus minoribus, foliis sublinearibus satis dignoscitur.

Hab. ad mare Caspium, in campis Sibiriae, ad littora Galliae australis.

Sprengelius (syst. veget. t. 2. p. 95 et 96.) A. amarum et maritimum sejungere videtur minus recte. Nam si A. amarum apud Candollium descriptum et apud Rédouté depictum cum Biebersteinii verbis de A. maritimo prolatis contuleris: ab hisce auctoribus eandem exprimi speciem, per se patebit. Ceterum jam apud Rajum (hist. pl. 1. p. 683.) hujusce plantae notas ita fere accurate proditas, ut apud Candollium et Biebersteinium, v. g. ramos flexuosos, radicis amaritudinem etc., loca denique in flora gallica communicata (Aigemorte, Montpellier) invenimus. Quid? quod ibidem, num planta ab A. officinali specie differat, copiose et sagaciter disceptatur, idque perscrutandi ratio in Linnaei fere animum exhibetur. Magnolii quoque proponitur sententia ideo speciem peculiarem habentis, quod promiscue cum A. officinali locis inundatis progenita characteres suos tamen obtineat.

### 31. *Asparagus officinalis*.

*Caulis inermis, folia fasciculata capillaria, stipulae geminae: exterior aristata, pedunculi gemini foliorum longitudine medio geniculati.*

A. sativus. C. Bauh. pin. 490.

*A. officinalis*, Hayne: plant. medicat. t. 8. tab. 29.  
flor. dan. tab. 805. icc.

Radix fasciculato ramosa. Radiculae perpendiculares. Caulis inermis herbaceus erectus teres. Rami alterni. Folia fasciculata sena-octona capillaria acuta. Stipulae geminae extrafoliaceae membranaceae, quarum altera alteram aut plane aut maxima e parte tegit, exterior major aristata. Arista autem non e basi pronascitur, ut plerumque describitur, sed ex apice stipulae. Secundum totam quidem stipulam pellucidam lineam crassiorem e basi profectam vides, quae apice in aristam illam abit. Haec autem dirimi non potest ab ipsa stipula, ut in avenae v. g. glumis. Stipula interior tenuior acuta mutica. Pedunculi axillares gemini longitudine foliorum medio geniculati. Perianthium campanulatum. Laciniae lanceolatae. Stamina medio perianthio inserta inelusa. Filamenta filiformia. Antherae erectae oblongae. Germen obovatum. Stylus saepe mutilatus; flores igitur diclini. Bacca globosa corolla marcescente basi instructa, apice punto nigro notata purpurea piso paullo major trilocularis. Loculi mono-dispermi. Semina sublenticularia nigra nitida.

Hab. locis sabulosis Europae. Flor. Jun.

Tres varietates statuit Linnaeus: *a*, maritimum, *b*, sylvestrem, *c*, altilem; quarum priorem ut speciem jam agnotam supra descripsi, secundam, cui jura specifica jam a Lamarkio concessa a Waldsteinio et Kitaibello comprobata sunt, descripturi sumus, tertia notissima illa varietas est in hortis culta oleraceis. Huic novam varietatem addit Candollius, quam *A. maritimum* minus recte nominat non confundendum cum *A. officinali*, *a. maritimo* L. Hanc *A. officinalis*

varietatem promiscue cum A. amaro (A. maritimo Pall.) ad littora marina Galliae australis copiose crescere et in hortos deductam A. altilis sativo originem dedisse referunt auctores florae gallicae. Haec autem re vera non est varietas sed forma potius A. officinalis nativa, cuius sola varietas nunc A. altilis s. sativus habendus est.

Monstrosam praeterea A. officinalis varietatem depictam et descriptam invenio apud Joh. Bauhinum (hist. pl. t. 3. p. 726.), quae quotannis ineunte vere caules tripedales compressos, ramos sparsos propignebat; cetera naturalia erant.

### 32. *Asparagus declinatus.*

*Caulis inermis, folia fasciculata capillaria, stipulae solitariae muticae acutae, pedunculi gemini foliis breviores medio geniculati.*

A. declinatus. Thunb. fl. cap. p. 333.

Caulis inermis herbaceus teres glaber. Rami alterni declinati. Stipulae solitariae extrafoliaceae membranaceae ovatae acutae. Folia fasciculata octona vix unguicularia. Pedunculi axillares solitarii gemini que foliis breviores medio geniculati. Perianthium infundibuliforme sexpartitum. Stamina infra medium perianthium inserta inclusa. Filamenta filiformia. Anthereae oblongae erectae. Germen globosum. Flores diclini.

Simillimus praecedenti.

Hab. ad prom. bon. sp. Fl. Dec. et Jan.

### 33. *Asparagus tenuifolius. Lam.*

*Caulis inermis, folia fasciculata, stipulae solita-*

*riae acutae muticæ, pedunculi solitarii geminique  
sub flore geniculati foliis duplo breviores.*

*A. tenuifolius.* Lamark encycl. tom. 1, p. 1.294. Red.

liliac. t. 8. tab. 434.

*A. sylvaticus.* Waldst. et Kitaib. pl. rar. Hung. 3.  
p. 223. t. 201.

*A. officinalis b. sylvestris L.*

*A. sylvestris tenuissimo folio.* C. Bauh. pin. p.  
491.

Caulis inermis herbaceus teres. Rami alterni.  
Folia fasciculata octona-vicena capillaria 2'''—4'''  
longa. Stipulae solitariae membranaceae ovatae con-  
cavæ acutæ muticæ. Pedunculi axillares solitarii  
geminique foliis duplo longiores sub flore geniculati.  
Perianthium campanulatum sexpartitum. Laciniae lan-  
ceolatae apice reflexæ. Stamina perianthio aut medio  
aut infimo inserta inclusa. Filamenta filiformia. An-  
theræ globosæ incumbentes. Germen oblongum.  
Stylus in plerisque mutilatus, flores igitur diclini. Bac-  
ca permagna duplo fere major quam *A. officinalis*  
fructus.

---

Alias etiam praeter recensitas invenio species,  
ut videtur, nondum descriptas, aut in herbariis re-  
giis servatas aut libris mandatas, quas vero et ob  
exemplaria manca et ob auctorum descriptiones mi-  
nus perfectas omittere malui. Sic inter plantas Will-  
denowianas *A. arborescentem*, speciem satis distinc-  
tam, floribus autem orbatam, *A. mauritiani* non mi-  
nus distincti exemplaria vero parca et parva, etc. in-  
venio. In Buchleri itineribus novissime editis tam-  
quam novae species enumerantur:

**A. larycinus.** Fruticosus, 4—5 pedalis. Rami ramulique albidi. Spina brevis subrecurva. Folia subulata, subpollicaria, fasciculata. Flor. 1—5 in singulo fasciculo.

**A. exuvialis.** Caulis aliquando volubilis. Rami ramulique inermes, divaricatissimi, tecti epidermide tenui, albida, cito exuta, Folia setacea. Flor. axillares bini.

Hae species capenses diligentius sibi poscunt **examen.**

---

## V I T A

### EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

Ego, Mauritius Bresler, natus sum Vratislaviae mense Augusto anni 1802, patre Benjamino, mercatore, matre Rebecca gentis Ollendorffiana; quos vero parentes optimos praematura morte mihi ereptos lugeo. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium adii Elisabethanum, quod eo tempore in urbe patria auspiciis Ill. Etzler, praceptoris mei ad cines res colendi, florebat. E gymnasio cum testimonio maturitatis, quod vocant, dimissum Ill. Unterholzner, t. t. universitatis Viadrianae Rector magnificus inter

cives academicos d. VIII m. Aprilis a. 1821 me recepit, Ill. Wendt, facultatis medicae t. t. Decanus maxime spectabilis medicinae studiosis adscripsit. His autem interfui lectionibus: Ill. Brandes de geometria sublimiori aequationumque theoria; Ill. Wachler de arte historica, de rebus annis 1789 — 1815 per Europam gestis, de historia litterarum recentiori; Ill. Passow de Sophoclis Ajace; Ill. Treviranus de botanices elementis et phytophysiology; Ill. Fischer de chemia universa corporumque organicorum speciali; Ill. Steffens de physice, anihropologia et hodegetice; Ill. Henschel de terminologia botanica, de systemate plantarum naturali, sexu plantarum, encyclopaedia medica, historia medicinae et pharmacologia audivi. Idem partes plantarum microscopio indagare me docuit. Ill. Otto in osteologia, syndesmologia, anatomia universa et in cadaveribus lege artis dissecandis dux mihi fuit atque praceptor benevolus. Ill. Purkinje de physiologia; Ill. Gravenhorst de zoologia audivi.

Annis duobus cum dimidio praeterlapsis Berlinum me contuli ibique Ill. de Raumer, qui eo tempore fasces academicos gerebat, in civium academicorum hujus universatis numerum die IX m. Octobris a. 1823 me recepit atque Ill. Rudolphi, t. t. ordinis gratiosi medicorum Decanus maxime spectabilis arti salutari incumbentibus adscripsit. In

studiis autem ita perrexi: Audivi scilicet Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Erm an de physice generali atque de electricitatis magnetismique doctrina; Ill. Link de geographia physica; Ill. Rudolphi de entozois, de organis sensuum; Ill. Horkel de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali; Ill. Wagner de materia medica; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali atque de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Juengken de aciurgia et ophthalmiatrica; Ill. Berends de semiotice et Hippocratis aphorismis audivi. Ejusdem sub auspiciis in clinico, cui ipse praeest, per annum sesquialterum artem medicam exercui. Per ill. C. W. Hufeland therapiam generalem atque morborum chronicorum pathologiam et therapiam specialem me docuit. Ab eodem aegrotos in ipsorum domiciliis curare didici. Ill. Rust de chirurgia et aciurgia (quam una cum Ill. Kluge tradit) audivi docentem. Copiam mihi quoque benevole fecit clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum in nosocomio caritatis constitutum adeundi. Sub auspiciis Ill. Graefe in clinico chirurgico et ophthalmiatrico universitatis artem chirurgicam, quam vocant, exercui. Clinicum quoque medicum, tui Ill. Neumann praefectus est, frequentavi. Ill. Kluge artem obstetriciam et theoreticam et practicam, ossium fractorum luxatorumque cognitionem et curam atque desmologiam chirurgicam debeo. Ill. Casper formulas medicas rite concinnare et ad eas medicinam

parare et erudivit et exercuit. **Celeb. Schlemm**  
anatomiam universam audivi repetentem.

Studiis academicis jam finitis, praceptoribus  
meis illustrissimis amplissimis optime de me meritis  
summas, quas possum, ago gratias intimo e pectore.  
Beneficiorum, quibus in aeternum aevum discipulum  
sibi obstrinxerunt, memoriam nulla unquam oblivio  
e mente grata extinguet.

---

**T h e s e s.**

1.

*In plantis describendis partium solam  
formam valere, neque naturam.*

2.

*Plantarum semina atque gemmas reapse  
nihil inter se differre.*

3.

*Sine gravitate ne cogitari quidem posse  
materiem.*

4.

*Nil recte concludi in arte medica, nisi per  
analogiam.*

5.

*Vires vitales per se nunquam, corpora  
viva semper aegrotare.*

6.

*Cataractam rarissime capsulae seu len-  
tis ipsius inflammatae morbum esse secunda-  
rium.*

7.

*Post hydroceles operationem radicalem,  
quam dicant, tunicam testis vaginalem non  
inflammari, sed partium circumjectarum in-  
flammatione et suppuratione deletam extrudi.*

8.

*Subitanea e vulnere morte, culnus absolute  
lethale fuisse, non probari.*

---

